



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Titulus XXXV. Providentia Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

TITULUS XXXV. PROVIDENTIA DEI.

§. I.

Figura, Symbola, definitio.

Vidit scalam stantem. Gen. 28. 12. Dico cum Theodoro, Pierio; scalam hanc, esse Symbolum Providentiae, & gubernationis divinae. Unde Deus illi innititur, quasi prima causa, & primum movens omnium. Angeli ascendunt, & descendunt, quasi ministri, & executores, Providentiae divinae. Haec scala à caelo in terram pertingit: quia Deus inferiora per superiora; homines per Angelos, gubernat. Duo scalae latera sunt suavitas, & fortitudo. Varii modi Providentiae sunt gradus. Sic Homerus Providentiam describit per catenam auream, à Jove de caelo demissam in terram; quâ Jupiter omnia comprehendit, constringit, & ad se trahit. Cornelius hic.

Quando splendebat lucerna ejus. Job. 29. 3. Scilicet Providentia ejus. S. Thom. Aqu. hic.

Nè projecias me à facie tua. Ps. 50. 13. Faciem hic gubernationem appellavit. B. Theodoretus hic.

Ut quid destruxisti maceriam ejus? Ps. 79. 13. Maceriam tutelam vocavit: nam quod est maceries vineae, hoc est Dei cura his, qui illâ digni effecti sunt. Ceterum praetergredientes viam hostes nuncupavit: quemadmodum enim viatores vineam, quae sine sepe, & custodia est, tuto vindemiant; sic, qui divinam providentiâ privatus est, expugnabilis quibuslibet laedere volentibus sit. B. Theodoretus hic.

Introduxit me rex in cellaria sua. Cant. 1. 3. Modus contemplandi in creaturis providentiam Dei erga nos. Quid sunt maria, & flumina, piscibus referta, nisi quaedam Dei cellaria ad reficiendum? Quid aer volatilibus, aut terra animalibus, & plantis, abundans; nisi quaedam promptuaria ad tuam nutritionem? Quid mineralia, ubi aurum &c. nisi thesauri Dei ad te locupletandum. de Ponte hic. Exh. 10.

Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi. Cant. 2. 3. Proprie, & genuine, umbra Christi est ejus providentia, cura, & protectio Ecclesiae, & animae Sanctae, velut sponsae suae; juxta illud Is. 51. 16. *sub umbra manus meae protexi te.* Ita Orig. Nissen. Cassiodor. Ambros. Thren. 4. 20. *in umbra tua vivemus in gentibus.* Ps. 56. 2. *in umbra alarum tuarum sperabo.* Cornelius hic.

Pasce populum tuum in virga tua in medio Carmeli. Mich. 7. 14. Orat Deum Mich. ut virgâ suâ pastoraliâ, id est, providentiâ suâ paternâ, pascat, regatque, Judaeos. Cornelius hic.

Circumdedit sepem. Marci 12. 1. hoc est, divinâ curâ, & providentiâ, munivit illam. Victor Antioch. hic.

Sol. Lem: *Omnibus sufficit.* Picinelli. Providentia est voluntas Dei, per quam res omnes aptè, congruenterque, gubernat. S. Joan. Damasc. l. 2. orth. fid. c. 29.

§. II.

Providentia Dei asseritur, & probatur.

Ex Veteri.

Fac tibi arcam. Gen. 6. 14. Cur non vocatur potius navis? Respondet Paulus s. 57. tom. 6. ut securissima custodia Noe intelligeretur, non navis, sed arca vocatur. Ut intelligeret Noe, se tanquam in arca servatum inter tot aquarum imminentiâ pericula. Did. Niss. l. 3. c. 10. Phoen. Graec.

Et ingressus est Noe -- in arcam propter aquas diluvii. Gen. 7. 7. Perditum erat genus humanum; scintilla noltri generis Noe restabat; scintilla in medio mari; nec tamen extinguebatur, neque naufragium faciebat: quippe quae gubernatorem haberet universitatis: non enim asseres illum servârunt, sed robusta Dei manus, S. Chrysost. t. 6. tr. in terra motum.

Vade, & proficiscere in Mesopotamiam Syria. &c. Gen. 28. 2. Jubetur Jacob abire peregrè; solum pro culcitra, baculum pro rheda, habens. Theodoretus q. 12. Hac de causa Jacobus aufugit, & solus peregrinatur; ut locupletissimus rediens & ipse experiretur, quanta sit Dei providentia. Eadem ratio de Abraham Gen. 12. 10. & 13. 1. *Velloso in Judith* 5. Par. 28.

In qua erat -- dipsas. Deut. 8. 15. Isidorus l. 12. etymol. 4. dipsades, serpentes nocentissimi: morfi ab eis continuo inardescunt, & sic ardent. Quare incessanter haurientes tandem crepant, & dissiliunt. Magna ergo fuit Dei providentia erga Hebraeos, quod ipsi per quadraginta annos ab his serpentibus, qui in deserto abundant, non sint laesi. Cornelius hic.

Libri Job tota intentio in hoc versatur, ut per probabiles rationes ostendatur, res humanas divinâ providentiâ regi. S. Thom. Aqu. Prologo in Job.

Militia est vita hominis super terram &c. Job. 7. 1. & sicut dies mercenarii &c. Ex utroque exemplo datur intelligi; praesentem vitam divinae providentiae subdi; nam milites sub duce militant, & mercenarii à patris operis mercedem expectant. Id. hic Lect. 1.

A domino diriguntur gressus viri. Prov. 20. 24. fortis, & strenui, qui magna, & ardua molitur: hunc enim Hebr. *gomer* significat. Directio haec DEI multiplex, 1. dirigit actiones nostras, cum ab aeterno eas destinat, & praeparat; ut in tempore ad eas hominem excitet, 2. cum in tempore hominem ad eas excitat, & dirigit, mentem illuminando, & voluntatem ad eas impellendo, 3. cum modum,

cas

3. cum modum, eas ordinatè, & feliciter, exequendi, suggerit. 4. cum obstacula, & obstantes studiis nostris, amovet &c. Cornelius hic.

Ex Patribus.

Divinà providentiã pulchrè omnia moderante, ita universa generationum series ab Adam usque ad finem sæculi administrantur, tanquam unius hominis à pueritiã usque ad senectutem temporis sui tractum ætatis gradibus terminantis. S. August. lib. 83. quæst. 9. §. 3.

Si navigium sine gubernatore non persisteret, sed facillè submergeretur; quomodo subsisteret Mundus tantum temporis gubernante nemine? Et nè quid plus dicam: navigium Mundum esse puta; remonem, suppositam terram; velum, cælum; vectores, homines; mare, subjectam abyssum: quomodo ergo tantò naufragium tempore non esset factum? S. Chrysof. hom. 10. ad pop. Ant.

Corporum, quæ generationi, & corruptioni, obnoxia sunt; compositio, quæ semper custoditur, providentiã esse magnopere ostendit: siquidem in omni particula corporis providentiã præmeditatio opparet. S. Gregor. Niss. l. 8. de provid. c. 1.

Si perfecta omnia, si robusta, si nullius indiga, gigneret, & proferret natura; profecto aboleretur pietas, ingenium deficeret, ars periret &c. S. Chrysol. l. 132.

Sicut, si aliquis videret sagittam directè tendere ad certum signum; quamvis sagittantem non videret, cognosceret statim, quòd dirigeretur à sagittante. Itã cum videamus res naturales absque cognitione tendere ad certos fines; possumus pro certo cognoscere, quòd operantur ex voluntate alicujus dirigentis, quem dicimus Deum. S. Thom. Aqu. in ep. 1. Cor. 15. Lect. 5.

§. III.

Nihil sit casu, aut fortuitò.

Ex Veteri.

Putea, cui ego dixero. &c. Gen. 24. 14.

Hæc secum loquebatur servus; & ecce apparet virgo Rebecca. Putas, hæc casu fiebant? absit. Veniebat Rebecca ad fontem, ad servum Isaac; qualem, qui ex illa, & Isaac, nasciturus erat, venire præscriperat. Bæza t. 2. l. 6. c. 3. §. 8.

Non casu Moyfès Ex. 2. 3. 6. in viminea fistella expositus, à filia Pharaonis inventus, & adoptatus est. Non casu fiebat, quòd maximè casu factum videbatur 4. Reg. 13. 21. ut cadaver metu latronum projiceretur in sepulchrum Elisei, cujus ossa cum attigisset, homo ille sepeliendus revixit. Nec casu rex Achab. 2. Paral. 18. 33. inter cervicem, & scapulas, læsus est: *accidit autem & unus e populo sagittam in incertum jaceret.* Certissima Dei manu ferebatur hoc telum. Non casu horundines Tobia 2. 11. domum involabant, virum optimum visu privabant: *hanc tentationem ideo permisit Dominus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientia.* v. 12. Drexelius Heliotr. l. 5. c. 4. §. 2.

Omnia in sapientia fecisti. Pf. 103. 24. In his, quæ à Deo proficiuntur, nihil à ratione alienum, nihil inordinatum, aut fortuitum, adinadvertitur. S. Gregor. Nys. lib. in hexam.

Ex Novo.

Non casu factum Luc. 2. 1. ut Christo nasciturò universus orbis ab Augusto describeretur.

Ascendit & Joseph. &c. Luc. 2. 4. DEUS mirabilis & omnium Artifex, omnem habens virtutem, omnia prospiciens. Quando peritus artifex templum sublime, aut domum, vult construere; prius modellum efficit; postea verò lapides, & ligna, aptari jubet, & à rustico portari lapides. Quòd si ab eo roges, quid portas? respondebit, ad talis domus, vel templi, ædificium. Quòd si quæras, quomodo iste lapis aptandus est? respondebit, id ego ignoro; operis autem præfectus explicabit. Ita Deus permittit hanc descriptionem fieri per manus Octaviani, & Cyrini; quam Dominus dirigit ad utilitatem Universi: quia prædictum fuerat Michæ. 5. 2.

Et tu Bethlehem &c. Ut hoc adimpleatur, fit descriptio; ut Dominus nascatur in Bethlehem. Interroga Octavianum, ut quid hæc descriptio? in meum commodum. Stella hic.

Non casu pastores erant in regione illa, non casu vigilabant. Luc. 2. 8. Altò Dei nascens consilio ibi positi erant. Bæza t. 2. lib. 6. §. 8.

Ecce defunctus efferebatur. Luc. 7. 12. Nihil improvisum Christo accidebat; longè habebat antè omnia prævisa. Non accidit occurfus hic inopinatus: in urbem Naim ideo venit; ut tantò miraculò fidem, nomenque suum, illustraret. Barradius t. 2. l. 8. c. 6. Dom. 15. Pent.

Ad fontem Sichar non casu confedit Christus, cum Samaritana collocuturus. Joan. 4. 5.

Ex Patribus.

Non tibi videantur casibus moveri, quæ verbò Dei in omni motu suo deserviunt. Quòd vult Deus, illuc lucet ignis: illuc fertur nubes; sive pluviam, sive nivem, sive grandinem, portet. Et quare aliquando montem percutiunt fulmina, & non percutiunt latronem? quia fortè adhuc latronis conversionem quarit: & ideo percucitur mons, quia non timet; ut muretur homo, qui timet aliquando. Et tu, cum das disciplinam, terram feris, ut infans expavescat. Quidquid ergo hic accidit contra voluntatem nostram, noveris non accidere, nisi voluntate Dei, de providentia ipsius, de ordine ipsius, de nutu ipsius, de legibus ipsius. S. August. in Pf. 148.

Si intrares in officinam fortè fabri ferrarij; non auderes reprehendere folles, incudes, malleos. Artifex novit quare, etsi ego non novi. In officina non audet vituperare fabrum; & audet in hoc Mundo reprehendere Deum? Ergo, quemadmodum ignis, grando, nox, glacies,

glacies, spiritus tempestatis, quæ faciunt verbum ejus: Sic omnia, quæ vanis videntur in rerum natura temere fieri, non faciunt, nisi verbum ejus: quia non fiunt, nisi iussu ejus. Id. ibid.

Nihil aliud in rebus casum vocamus, nisi cujus ratio, & causa, secreta est: nihilque seu commodi, seu incommodi, contingit in parte, quod non conveniat, & congruat, Universo. Id. l. 1. contra Academicos c. 1.

Fratres, non rogata venit illa, sed iussa: ipse sic fecit eam sibi sibi, qui illam celestis sententiâ iussit absolvi. S. Chrysol. l. 93. de Magdalena.

Historia.

Lusitanus miles alæ ludens sexcentos aureos amiserat. Tristis, & inops consilii, ad Franciscum confugit. Ille ex veneno medicinam petendam ratus, aleam ab eo poscit, suâque manu permissam reddens, repetere lusum jubet, amissa recuperaturum. Non fessiliti repente mutata sors; secundò usus ludò recuperavit cuncta. Suò receptò ludere pergentem Franciscus inhibuit; nec miles abnuvit: sed beneficii memor salubribus ejus præceptis impense paruit; quin etiam ultro promissit, se impoiterum nunquam alæ lusurum & exitit promissi fides. Quis in hac alea non agnoscat Domini manum, sicut & in alea lulu. Horatius Turfelinus lib. 6. c. 2. in vita S. Franc. Xav. Vide mirabilem divinæ Providentiæ dispositionem apud Stengelium t. 1. div. Judic. c. 28. fufius relatum.

De puerulo memorat Olaus l. 9. c. 28. cui casus, & Deus, insignem gloriam peperit; quando hoste Groningam, Frisonum urbem oblidente, artem parentis imitari volens filius, igne in tormentum immisso, caput illustrissimi Ducis in obsidione foris milites exhortantis, ferro globò expulso, avulsit, & obsessis quietem peperit. Lusit tunc puer; sed Deus serio egit, qui pueri manum in hostem direxit. Sicut 3. Reg. 22. 34. vir quidam tetendit arcum, in incertum sagittam dirigens, & casu percussit regem Israël &c. Sagittarius casu, Deus consilio, regem percussit. Stengelius t. 1. Judic. div. c. 25. Plura similia invenies apud Stengelium hic.

§. IV.

Nihil sine causâ.

Non est dicere, quid est hoc? aut quid est istud? omnia enim in tempore suo quærentur. Eccl. 39. 26. Græc. omnia enim in usus suos creata sunt. Tò quærentur per metalepsim accipi potest cum Janfenio, pro cognoscuntur, vel declarabuntur, ac cognita comprobabuntur, ut ait v. 40. solent homines ignorantes, & superbi, mirari, & judicare, nonnulla Dei opera; quorum ipsi causam, usum, & finem, non intelligunt; quasi inutilia, supervacua, imò impertinentia. Unde dicunt: *quid est hoc? aut quid est istud?* q. d. quis est hujus, vel illius rei, usus? & finis? quid commodi hoc, illudve, adferet? Retundite eorum ignorantiam, & eorum fastum; cau-

Polyantha Sacra. Tom. II.

samque subdit: *omnia enim in tempore suo quærentur, & cognoscuntur, & cognita probabuntur.* Cornelius hic.

Videmus, nihil esse in omni Mundo, quod non habeat in se maximam, mirabilemque, rationem. Lactantius l. de ira Dei.

Nemo ex me quarat, cur quidque fiat? Satis est, nihil fieri, nihil gigni; quod non aliqua causa genuerit, atque moverit, S. August. l. 1. de ord. c. 6.

§. V.

Male astris adscribuntur bella. &c.

Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa Mundi; & non secundum Christum. Coloss. 2. 8. S. Ambros. l. 4. hex. c. 4. quomodo Dominus aut bonis præmia proposuit, aut improbis pœnas; si facit necessitas disciplinam? & conversationem stellarum curius informat? Quam multos videmus, ereptos criminibus, atque peccatis, in meliorem statum esse conversos: S. August. de Civ. l. 5. c. 7. fatum ponentes, nolunt advertere, quòd electò ad seminandum agrum die, tam multa grana in terram simul veniunt, simul germinant, & exortâ segete simul herbescunt: & tamen inde spicas, cæteris coavas, alias rubigo interimit, alias aves depopulantur, alias homines avellunt. Quomodo, istis alias constellationes fuisse, dicturi sunt; quos tam diversos exitus habere conspiciunt? Id. de Civ. l. 5. c. 34. de geminis hominibus plurima, plurimumque diversa, monstremus. Nati enim sunt duo gemini. Gen. 25. 25. veterum Patrum memoriâ, sic alter post alterum; ut posterior plantam prioris teneret. Et tanta in eorum vita fuerunt, moribusque, diversa; tanta in actibus disparitas, tanta in amore parentum dissimilitudo; ut etiam inimicos eos faceret inter se ipsa distantia. Unus à matre diligebatur; unus honorem amisit, alter adeptus est.

§. VI.

Providentia Dei extendit se ad omnia.

Ex Veteri.

Fecit quoque Dominus Deus Adæ, & uxori ejus, tunicas pelliceas, & induit eos. Gen. 3. 21. Quid per vestes pelliceas intelligendum? admirari oportet perennem ejus bonitatem: quippe qui etiam delinquentium curam gerat; nec vestimentis necessariis carere nudos permittat. B. Theodoretus q. 39. in Gen.

Mansiunculus in arca facies. Gen. 6. 14. Sept. *nidos facies arcam.* Symbolicè S. Ambros. l. de Noe c. 6. omne corpus nostrum atextum est, sicut nidus: nidi quidam sunt oculi nostri, quibus se visus inferit. Nidi sunt nostrarum sinus aurium - nidus est narium &c.

Vidit scalam. Gen. 28. 12. Per hanc intelligit B. Theodoretus q. 82. divinam providentiam, quæ cælum & terram attingit. Sed nota, quòd scala hæc priùs sit super terram, & postea cælum tangat. Cur non primò nomi-

Uuu

natur

naturæ cœlum, utpote nobilis, & sedes spirituum? sed prius terra; in qua serpentes, & bruta? Adeo sollicita est divina providentia circa minima &c. S. August. ad illud Sap. 8. 1. *Attingit à sine usque ad finem*. l. de gratia, & lib. arb. à cœlo usque ad inferiores partes terræ; à maximo angelo usque ad minimum vermiculum. Sylveira in Matth. 6. 25. q. 7.

Qui dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum Pl. 146. 9. Traducitur apud sacros Scriptores corvus, ut animal pullorum odiò laborans: nam, cum foetum excluderint, repudiant, neglectâ nutriendi curâ. Sed, quæ creaturam omnem pervadit divina providentia, pullis ipsis corvorum, occultâ quâdam ratione, à minutis quibusdam animalibus escam parat. S. Basilius Seleuc. orat. in S. Eliam.

Attingit, à sine usque ad finem, fortiter; & disponit omnia suaviter. &c. Sap. 8. 1. Functiones illius, creatio, gubernatio, conservatio, cooperatio. Dicitur provisor: quia per ipsius providentiam omnia in suis speciebus, & naturis individuis, cum suis ornamentis, & proprietatibus, & functionibus, existunt. Cuius creaturæ dedit vires, & instrumenta congruentissima, ad suas functiones: ut apparet etiam in vilissimis vermibus, & eorum partibus; in plantis, & floribus. 2. nihil in toto universo fieri potest, quod ipse antea, in luce infinite sapientiæ suæ, exactissime non consideravit; & quasi deliberaverit, an conveniat illud velle ut fiat. Quidquid enim modo inordinatū videtur, ipse postea ad pulcherrimū ordinē revocat. Quid est aliud cuiusque rei ingenium, & nativa propensio, quàm providentiæ ejus vestigium, & impressio? Considera venatum araneum, apicularum artificia, avicularum nidos, stupendam bombycum indolem, formicarum indutrias. Nunquam ejus providentiæ ordo, ac dispositio, propriò sibi commensò sine frustratur; sed hunc semper assequitur. Quod est modo nondum appareat, durante adhuc Mundi cursu, & terminò, quò tendunt omnia, nondum adductò: ubi tamen, decessò stadiò suò, ad metam pervenerit; tunc se vis providentiæ divinæ aperiet, & clarè perspicietur; quàm sapienter, quàm suaviter, & congruè naturis rerum, & salutem mortalium; quàm convenienter divinæ gloriæ, omnia ab ipso fuerint administrata. Itaque nihil omnino prudentius præstare possum, quàm si me totum sapientissimæ Dei providentiæ committam. Leon. Lessius de 50. Dei nominib. c. 30. Providentia l. 11. c. 1.

Ex Novo.

Respicite volatilia cœli. Matth. 6. 26. Proponit Dominus non leones, elephantos, & urfos; sed minima animalium: ut doceamur, quòd providentia Patris non solum ad magna se extendit, sed etiam ad minima; ut omnibus provideat. Sylveira hic q. 11. E scholis avium venio; à quibus præclaram lectionem de fiducia in Deum audi. hanc repetam. Noveris: non pulcherrimis tantum, & maxime cano-

ris; sed etiam passerulis, granariorum deprecatoribus, à Deo prospectum; nec sine ipsis nuda quidquam deesse. Satis ei provivum est, qui vivit sub cura Dei: non deseret ille nos homines, qui prospicit avibus. Joan. Rho in Caduceatore Aff. 47.

Si autem sanum agri &c. Matth. 6. 30. id est, si, quæ citò decidua concremantur igne, artifex omnium tam venustâ ornat specie; quanto magis vos procurabit in necessariis, qui ad æternam hæreditatem pertinetis. Beda l. 1. hic.

Rogabant. mitte nos in gregem porcorum. Matth. 8. 31. Possunt dicere, porcorum quoque feras tunc numeratas apud Deum fuisse, nedum capillos Sanctorum, Tertull. de fuga in persecutione.

Nonne duo passeret &c. Matth. 10. 29. Est sensus: si parva animalia, & vilia, absque Deo autore non decidunt, & in omnibus est providentia; & quæ in his peritura sunt, sine Dei voluntate non pereunt: vos, qui æterni estis, non debetis timere, quòd absque Dei vivatis providentiâ. S. Hieron. l. 1. hic. Miror, Christum, in confirmationem divinæ providentiæ, passeret allegare: qui, cum familiares domibus sint, facile se nutriunt. Miraret magis profugas, solitariasque, aviculas à Deo ali. Sed difficilior ostendit, passeret in urbibus pasci posse, quàm in agris reliquas volucres: his enim plures tenduntur laquei, quàm escæ præbeantur; magisque iis aditus omnium ad cibum obstruitur. Oliva l. 13. Strom. Luc. 12. nonne quinque passeret.

Vestri capilli capitis omnes numerati sunt. Matth. 10. 30. Non est hyperbolica hæc locutio, sed verissima, ut ait Cajet. cum verè capillorum numerus notus sit Deo. Nam, ut ait Euseb. Gallic. in Nat. plur. MM. non est autem ei difficile capillos numerare, cui difficile non fuit creare. Sylveira hic q. 12.

Ex Patribus, & aliis.

Qui non solum cœlum, & terram; nec solum angelum, & hominem; sed nec exigui, & contemptibilis, animantis viscera; nec avis pennulam, nec herbæ flosculum, nec arboris folium; sine suarum partium convenientia, & quâdam veluti pace, dereliquit: nullò modo est credendus regna hominum, eorumque dominationes, & servitutes, à suæ providentiæ legibus alienas esse voluisse. S. August. de Civ. l. 5. c. 11.

Attendat Charitas vestra: quis disposuit membra pulicis, & culicis; ut habeant ordinem suum, habeant vitam suam, habeant motum suum? Unam bestiolam brevem, minutissimam, considera, quam volueris. - pro se fugit mortem, amat vitam, appetit voluptates, devitat molestias, exerit sensus diversos. Quis dedit aculeum culici, quò sanguinem fugat? Quàm tenuis fistula est, quâ forbet? Quis disposuit ista? quis fecit ista? Ex pavescis in minimis, lauda magnum, S. Augustinus in Psal.

Benga-

Bengalenses, dici nequit, quantopere tigres reformident. Ceterum providentia Dei creavit bestiolam, catelli magnitudinem non superantem; quæ conspectam semel tigridem mox aggreditur, & latratu suo in fugam convertit: ut hominibus aequè, ac aliis animantibus, tempus sit, abdendi se in latebram. Ex epistola Nicolai Pimenta de statu rei Christianæ in India Orientali.

§. VII.

Providentia Dei de alimentis.

Ex Veteri.

PRimum hominem in horto collocavit. Gen. 2. 15. Jacobo in fame per Joseph alimenta providit. Gen. 45. 11. In eremo panem de celo. Ex. 16. 14. potum de terra dedit.

Invenit in ipso anno (sterilitatis) centuplum. Gen. 26. 12. Unde patet, hanc messem, non per fertionem, non per agrorum fertilitatem; sed per miraculum, Dei beneficiò, obtigisse Isaac: ut ex uno modio à se seminato metere centum modios. Cornelius hic.

Gomor per singula capita. Ex. 16. 16. Hoc primum, illudque ingens, miraculum in manna; quòd scilicet & tanta copia quotidie deplueret; quæ tribus hominù millionibus alendis sufficeret: & quod singuli domum venientes, cum manna à se collectum metirentur, sive plus, sive minus, collegissent; omnes tamen unum, idemque, gomor reperirent: Angelò scilicet invisibiliter addente; si minus, quàm gomor; demente, si amplius, collegissent. Hinc sequitur; omnes tunc quotidie ex manna comedisse unum gomor, parvulos, robustos, viros, fœminas, senes. Deus enim cuique in stomacho, & corpore, ita concoquebat, & dispertiebat suum manna; ut aequaliter omnes satiare: ut in debili stomacho esset facilis digestio, in stomacho robustiore validis. Cornelius hic. Dignum inquisitione est: cur Domine non dedisti eis panem ad mensam; aut quem ad hebdomadem saltè servare possent; sed ad singulos dies? Vult Dominus nos semper ab ejus providentia pendere: quoniam novit; non adituos nos eum, nisi indigeremus. Quæ in re melior est pauperum, quàm divitum, conditio: sunt enim singulis diebus pauperum oculi ad Dominum, ut eorum miseretur, & necessaria; saltè ad illum, tribuat diem: ut etiam nullus transeat dies, quò Dei circa se non sentiant beneficia. Oleaster hic.

Pones super mensam panes propositionis.

Ex. 25. 30. Voluit semper coram se panem habere; ut continuæ nostræ indigentiae memor esset. Oleaster hic. Causa, quare ponebantur isti panes, exprimitur Levit. 24. scilicet in memoriam filiorum Israel, ut Deus recordaretur eorum. Abul. q. 28. hic.

Ex Novo. Patribus, & aliis.

Facite homines discumbere. Joan. 6. 10. Discamus ex hoc miraculo, nè pusillanimes simus in angustiis, & paupertate; neque timidi simus in hospitalitate, & communiione: sed credamus, quòd, etiamsi unum tantum panem habeamus, illum multiplicaturus sit; qui ex

Polyant. Sacra. Tom. II.

quinque panibus tantum superesse fecit. Theophylactus, hic.

Nemo debet de vita ista desperare; nemo timeat; nemo debet dicere: si tenuero, unde habeo vivere? si infirmus factus fuero, unde vivo? Christum habes; & times? si volatilia caeli pascit, dubitas, quòd possit te pascere? diabolus pascit suos homines; & Christus non pascet suos servos? S. Hieron. in Ps. 107.

Bonus, & pius Dominus qui promissit aeterna, non negabit temporaria. Thom. Kemp. conc. 18.

In promissis veritatis nemo dubitet: fit homo, qui esse debet, & mox addentur ei omnia, propter quem facta sunt omnia. S. Hieron. in c. 6. Matth.

§. VIII.

Providentia Dei specialis de Sanctis.

Ex Veteri.

Donec ingrediaris illuc. Gen. 19. 22. Urget hæc Dei verba, non potero facere quidquam. Præd. in c. 9. Ezech. 6. ò divina bonitatis pelagus! nonne satis erat, fidem astrinxisse suam, Dei Angelum erepturum Loth de Sodomæ incendio? quorsum tanta cunctatio? Videlicet acceperat Angelus à Domino mandatum, non modò salvandi Loth, sed etiam ipsum sospitem, tutum, & securum, conservandi. Non potero, inquit, facere quidquam. At peccata Sodomorum multa sunt nimis: non potero &c. At impleta sunt scelera eorum: non potero &c. At clamant in caelum: non potero &c. Quorsum tam insolita providentia? quò nepotem Abrahamæ nec tangat, nec olfaciat, nec percellat, percutientium calamitas. Apud Cornelium hic.

Reversaque sunt aquae, & operuerunt currus, & equites cuncti exercitus &c. Ex. 14. 28. S. Basilius hom. 9. querit cur Deus, cum decussisset aquas maris, & iter præbuisset Hebraeis, reducens aquas oppresserit Pharaonem cum Aegyptiis? respondet: seipsum præcipitem dedit; dum cordis arrogantia fretus, iter iustorum ausus est ingredi.

Erit anima Domini mei custodita quasi in fasciculo &c. 1. Reg. 25. 29. Pulcherrimâ comparatione itarum iustorum à reprobis sorte discernit: hos lapidi fundæ assimilat, illos fasciculo. Fasciculus enim constringitur, ut integer maneat, & conservetur; lapis in funda expeditus ponitur, ut abiciatur. Sic enim in hoc sæculo electi pressuris tribulationum coangustantur; ut, his admoniti, arctius se ad invicem mutuâ charitate connectant, & coadunati ad invicem manu sui Redemptoris in perpetuum conserventur. At verò reprobi, quantò licentius in hac vita voluptatibus propriis, veluti liberi, dimittuntur; tantò longius in futuro à divina visionis gloria projiciuntur; ut de eis meritò dicatur: ipsi de manu tua expulsi sunt. Mirè autem omnipotentem providentiam describit superni Protectoris; cum dicit, animam viri sancti quasi fasciculò apud eum custoditum. Sicut enim facillimum est cuilibet fasciculum herbae, vel fœni, suâ manu retentum conservare; ita virtus Domini omnes per orbem electos, nè qui ex

Uuu 2

eis

eis pereant, sine labore tuetur. V. Beda l. 30. quæst. in lib. Reg. q. 6. hic.

Sub umbra alarum tuarum protege me. Psal. 16. 8. Alas habere dicitur Deus pro eo, quod, more avis, electos suos, tanquam pullos, sub se jungit, fovet; & ab insidiis diaboli, & malorum hominum protegit. S. Anselmus lib. de vestim. & alis DEO attributis. Ala.

Dominus regit me. Ps. 22. 1. Ut dux viatorum, ne deviet; ut lux in tenebris ambulantiem, ne exorbitet; ut pastor gregem, ne à lupis pereat. Dominus regit me ut navem, ut regnum, ut exercitum: ut cœcum, ut equum frœnò, & stimulo, Regit me ut scholas. *Qui sedes super cherubim;* id est, plenitudinem scientiæ. Hugo Card. hic.

Timeat Dominum omnes Sancti ejus quoniam non est inopia timentibus eum. Psal. 33. 10. Pascebat te Dominus contemnantem se; & deseret te timentem se? S. August. hic.

Iustorum anima in manu Dei sunt. Sap. 3. 1. id est, in peculiari Dei curâ, providentiâ, tutelâ, directione. Moraliter portatur iustus manu Dei. 1. sicut puer manu matris, vel nutricis, juxta illud Ol. 11. 3. *& ego, quasi nutritus Ephraim, portabam eos in brachiis meis.* 2. sicut charta est in manu scriptoris; ut in ea scribat, & pingat, quidquid velit, juxta illud Il. 49. 16. *Ecce in manibus meis descripsi te* Sic Christus crucifixus in manibus suis inscripsit dilectos suos, non calamis; sed clavis; non atramento, sed sanguine: ut amorem suum eximum in nos testaretur. 3. sicut annulus est in manu regis: æquè enim pretiosa est anima iusti in manu, & oculis Dei. Vide Jerem. 22. 24. Eccl. 49. 13. Aggæi 2. 24. 4. sicut æger debilis est in manu confortantis, juxta illud Ezech. 3. 14. *manus Domini erat mecum confortans me.* 5. sicut materia, vel instrumentum, est in manu artificis: ut eas tusionibus, pressuris, patientiâ, omnique virtute, & gratiâ, expoliat. Cornelius hic.

Serve Dei, tolle prandium, Dan. 14. 36. Talem enim discophorum inopia meruerat hebdomadis. S. Hieron. l. 2. contra Jovin.

Ex Novo, & Patribus.

Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Luc. 12. 7. Non quicumque capilli numerantur, sed hærentes capiti. Obediens, suoque adhærens capiti, Dei in se curam provocat. Oliva l. 13. Strom. hic.

Nolite querere, quid manducetis. Luc. 12. 29. *Pater vester.* Cajet. & hæc sola ratio sufficit ad confidendum, Nicetas in or. 44. Nazianz. ait: paratâ rerum copiâ creatum ultimo Adamum esse; ut Mundum ingressus inopiâ minimè laboraret.

Servum Christi non custodia temporalis, sed Domini providentiâ, sepire consuevit. S. Ambros. orat. in Auxentium de Basilicis tradendis.

§. IX.

Providentia Dei de uno, ut de omnibus, quasi de te solo.

Vidit Dominum innixum scale. Gen. 28. 12. 13. Nota, Deum suos, præsertim virtute præstantes tantâ curâ per se, & Angelos, curare; ac si iis torus incumberet, nec quicquam aliud curaret in toto Mundo. Juxta illud Cant. 2. 16. *dilectus meus mihi, & ego illi.* Cornelius hic.

Ego sum Deus Abraham &c. Exod. 3. 6. Quæres, cur hic ter, putâ ad singulos, repetatur nomen Dei. R. ut ostendat Deus; quantum singulorum habeat curam: quod unum curet, sicut omnes; & quod singulorum sit totus. Cornelius hic.

Sic intendunt divina judicia super unam animam, sicut super unam urbem; sic super unam urbem, sicut super unam gentem, sic super unam gentem, sicut super universam humani generis multitudinem: quia & sic intendit Dominus singulis, ac si vacet à cunctis; & sic simul intendit omnibus, ac si vacet à singulis. S. Gregor. mor. l. 25. 13.

Sic gressus meos, semitasque, consideras; & die, noctuque, super custodiam meam vigilas, omnes semitas meas diligenter norans, speculator perpetuus; velut si totius creaturæ tuæ, cœli, & terræ, oblitus, tantum me solum consideres, & nihil sit tibi curæ de aliis. S. August. solil. c. 14.

O tu bone omnipotens! qui sic curas unumquemque nostrum, tanquam solum cures; & sic omnes, tanquam singulos. Id. lib. 3. Conf. c. 11.

Itâ tibi intendit Deus, itâ tui curam jugiter habet; quasi tu solus in toto terrarum orbe viveres. Blossius parad. an. c. 2.

§. X.

Providentia Dei è malis physicis, & moralibus, elicit bona.

Ex Veteri.

Ecce somniator venit: venite occidamus eum. Gen. 37. 19. Tolle malitiam fratrum ejus, tolle invidiam, tolle illud omne parricidale commentum, quò sævierunt in fratrem, usquequò venderent eum. Si hoc auferas, vide quantum simul peremeris dispensationem Dei: simul enim abscondes cuncta illa, quæ apud Ægyptum per Joseph pro salute omnium getta sunt. Orig. hom. 14. in Num. 23. Quia mutari Dei consilium non valet: quem ideoven-diderunt, ne adorarent; adorârunt quia vendiderunt. S. Gregorius hom. 21. in Ezech. Quidquid in contrarium moliaris, resistente licet Universi creaturâ, pugnantibus tenebrarum potestatibus: per eas ipsas contrarietates iustus vadit, secundum quod scriptum est de eo. Bæza t. 1. l. 3. c. 6. §. 6. Per ipsos insidiatores ei contexebatur diadema, & comparabatur purpura; & ab infamiâ occasione, honoris, & regni, ei causa processit. S. Chrysostr. in Pl. 138. de Joseph. Penfe-

Penfemus, quomodo fapientes in ipfa fua aftutia vis divina comprehendat. Ideo ab eis venditus erat Iofeph, nē adoraretur: fed ideo eft adoratus, quia venditus. Aftutē namque aliquid agere auli funt, ut Dei confilium mutaretur, fed divinō iudiciō, quod declinare conati funt, renitendo fervierunt. - Sic divinum confilium, dum devitatur, impletur: fic humana fapientia, dum reluctatur, comprehenditur. S. Gregor. mor. l. 6. c. 12.

Vos cogitāstis de me malum; fed Deus vertit illud in bonum. Gen. 50. 20. *Mifit ante eos virum.* Pfa. 104. 17. Merito dixit *virum*: quia multa paffus viriliter cuncta fultinuit. Considerandum eft etiam, quod dicit, eum *Dominum* miffiffe; qui fratrum fuorum iniquitate diftractus eft. Novit enim Deus bene uti malis alienis: fic enim illi omnia adverfa feliciter contigerunt; ut miffio facta fit Domini Iofeph dolofa venditio; fic ut ipfe fuis fratribus dicit. Gen. 45. 5. *pro falute veftra miffit me Deus ante vos in Agypto.* Caffiodorus in Pf. 104.

Præcepit ergo Pharaon - quidquid mafculini fetus natum fuerit, in flumen projicite. Ex. 1. 22. Cur parentes potuerunt obfcondere Aaron, non Moyfem? S. Chryfoft. hom. 14. in Acta; femper, quæ videntur effe contra nos, pro nobis fiunt. Hoc mirabile eft, quod non per ea, quæ videntur, fecuritatis effe; fed planè per contraria, omnia pro nobis fiunt. Iuffit Pharaon in flumen projici pueros. Nifi pueri fuiffent projecti, non fuiffet fervatus Moyfes; non in aula educatus fuiffet. Quando expositus eft, tunc factus eft in honore. Altiffima Dei providentia id, quod erat mandatum ad interitum, ordinat ad salutem, vitam, & exultationem. Sylveira in Act. 7. 21.

Idcirco pofui te; ut oftendam in te fortitudinem meam; & narretur nomen meum in omni terra. Ex. 9. 16.

Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus. Pf. 110. 2. & tam fapienter exquisita; ut, cum Angelica, & humana, creatura peccaffet, id eft, non quoddam ille, fed quod voluit ipfa, feciffet; etiam per eandem creaturæ voluntatem, quæ factum eft, quod creator noluit, implevit ipfe, quod voluit: bene utens & malis tanquam summè bonus. S. Auguft. Enchir. c. 100.

Radix fapientia cui revelata eft? Eccli. 1. 6. Quæ ratione Deus bonum è malo eliciat, rad cis fimilitudine explicatur. Radices enim, licet foetidis, & immundis, aquis riges; ex illis tamen arbor humorem elicit, quod flores, & fructus, ramis fubminiftrat; & quibus idem, qui cœnofas aquas immiferat, nutriatur. Octavianus hic.

Conflabunt gladios fuos in vomeres, & lanceas fuas in falces. Ifa. 2. 4. Quando id factum? ut gladii, qui funt ad perdendam vitam, convertantur in aratrum, & inftrumtum alendæ vitæ? & lanceæ, quæ funt ad occidendum, funt pro metendis alimentis? Hoc totum videmus in Paulo impletum, ait Tertull. l. Adv. Gnoft. c. 13. Paulus Apoftolus, de perfecutore, qui prius Ecclefiæ fanguinem

fudit, poftea gladium ftylō mutans, & convertens macharam in aratrum; Lupus rapax Benjamin, deinde afferens ipfe efcam. Sylveira in Act. 9. 2.

Ex Novo.

Filia mea modo defuncta eft. Matth. 9. 18. Moriebatur ifta duodennis puella; nec Chriftus ante mortem voluit fubvenire; ut per revocationem à morte attolleretur miraculum; et fides fcientium per amplius firmaretur. Sim. Cafs. l. 5. c. 14.

Et Judas Ifcariotes, qui & tradidit eum. Matth. 10. 4. Habuit Chriftus inter Apoftolos unum; quō malō utens bene, & fuæ Paffioni difpofitum implet, & Ecclefiæ fuæ tolerandorum malorum præberet exemplum. S. Auguft. de Civ. l. 18. c. 49. Non Judæ traditio, fed fapientia Chrifti, atque potentia, salutem peperit univerfis. Chriftus enim improbitate aliorum ad utilitatem noftam ufus eft. S. Auguft. hom. 82. in Matth. 26.

Filia mea male à dæmonio vexatur. Matth. 15. 22. Ut quid malè? nunquid aliquando benè vexare quempiam volet? minimè: fua intentione duntaxat, fed divinā providentiā, quæ benè malis utitur; dæmonum malorum hominum, voluntatibus funt fecuræ coronæ. Clamat hoc Martyrum exercitus, vexantibus dæmoniis, tyrannorum terrore, & fuppliciis, confecratus. Hæc filia, maternō iudiciō, malè à dæmonio vexabatur: fic enim intentione Sathanicā; fed ad profectum utriusque, bene vexata fuit: nam ambæ, in anima liberæ à cultu averfæ gentilium, in Chrifti familiam tranfierunt. Sim. Cafs. l. 5. c. 24.

Filius hominis vadit, ficut fcriptum eft de illo. Matth. 26. 24. Non obfuit proditoris infania, fed fervivit Domini viis; & inter inimicorum rabies contrariantes viam invenit, quā citius perveniret ad gloriam præparatam. Bæza t. 1. l. 3. c. 6. §. 6. Si auferas malitiam Judæ, proditiōemque ejus perimas; abftuleris pariter Crucem Chrifti, & Paffionem ejus &c. - Et propterea puto, in divinis voluminibus fcripta effe bonorum gefa, & malorum; & ex finiftris, & dextris actibus fcripturas divinas effe contextas: ut intelligamus; quia apud Deum otiofa non funt, nec malorum opera, nec bonorum. Orig. hom. 14. in Num.

Infer digitum tuum huc. Joan. 20. 27. Plus nobis Thomæ infidelitas ad fidem; quàm fides credentium Difcipulorum, profuit: quia dum ille ad fidem palpando reducit; nofta mens, omnī dubitatione pofpofitā, in fide folidatur. S. Gregor. hom. 26. in Evang.

Vexatos à fpiritibus immundis. Actor. 5. 16. Hic, & in Evangelis, crebra fit mentio poffefforum à dæmone, quos curavit Chriftus, & Apoftoli; imò crebrior, quàm in toto Testamento veteri: quia vigeat tempore Chrifti hærefis Sadducæorum negans effe Spiritus. Ad hanc refutandum, permiffit Deus dæmoni homines poffidere; in eisque fe, & vim fuam, oftendere: idque aliquando finè culpā, aliquando ad puniendam culpam, vel obfefforum, vel

parentum. Simili de causa permittit DEUS tot sagas, & magos; contra Atheos, qui negant omnem Spiritum, imò omne Numen. Cornelius hic.

Perit ab eo epistolas. Act. 9. 2. Cur Saulus à Pontifice non petit mandata, sed epistolas non decreta, provisiones. Perpende profundam DEI sapientiam. Postulat eas ad Ecclesiam Christi destruendam: Ordinatur DEUS, ut ipse scribat, & nobis det epistolas divinâ sapientiâ plenas, ad fundandam, & illustrandam, Ecclesiam. Ommutatio dexterâ Excelsi, qui sic rerum ordinem, ac stylum, immutat; qui sic hostilia arma convertit in auxilia, & patrocina. Et sic manus armata cum epistolis, ad expugnandam Ecclesiam, sit manus armata cum epistolis ad fortiter pugnandum pro defensione ipsius Ecclesiæ. Sylveira hic 9. 2.

Forstian enim ideo discessit ad horam à te, ut æternum illum reciperes. Scribit. S. Paulus ad Philemonem v. 5. de Onesimo. S. Hieron. si dominum non fugisset, nunquam venisset Romam, ubi Paulus erat vinculus in carcere. Si Paulum in vinculis non vidisset, non recepisset fidem in Christum. Si Christi non habuisset fidem, nunquam Pauli effectus filius in opus Evangelii mitteretur. Ex quo paulatim, & per gradus suos minister Evangelii est factus Onesimus; quia fugit à domino: apud Did. Nis. D. 4. Pasch. §. 3.

Videbunt corpora eorum per tres dies, & dimidium. Apoc. 11. 9. Anti-Christiani eò consilio non sinent Sanctos sepeliri, ad majorem ignominiam. At providentia DEI ordinavit; ut eorum malitia inserviret ad majorem gloriam. Albertus M. Vult DEUS insepultos esse; ut major sit eorum gloria, ut evidens fiat eorum resurrectio: quia, si sepulti essent, non esset ita clarum de eorum resurrectione. Sylveira hic.

Ex Patribus, & aliis.

Dicimus, dispositione quâdam, & sapientiâ DEI, ita in hoc Mundo esse disposita, ut nihil profus otiosum sit apud DEUM; etiam si malum illud sit, etiam si bonum. Orig. hom. 14. in Num. Sensus est, non ipsa verba.

Si homo ad imaginem, & similitudinem DEI factus in suâ honore naturæ mansisset; nec diabolicâ fraude deceptus, à lege sibi posita per concupiscentiam deviasset; Creator Mundi creatura non fieret; neque aut sempiternus temporalitatem subiret; aut æquali Deo Patri Filius Deus formam servi, & similitudinem carnis peccati assumeret. S. Leo l. 3. in Pentecoste.

Neque DEUS ullum, non dico Angelorum, sed vel hominum crearet, quem malum futurum esse præscisset; nisi pariter nôset, quibus eos bonorum usibus commodaret: atque ita ordinem saculorum, tanquam pulcherrimum carmen, etiam ex quibusdam quasi anthithedis, honestaret. S. Aug. de spir. l. 11. c. 18.

Sicut iniqui malè utuntur bonis operibus Dei; sic contra Deus benè utitur malis operibus iniquorum. Id. tr. 27. in Joau.

DEUS permittit hominem tentari, quem sciebat esse casurum: quia simul videbat, eò casu se uti posse ad misericordiam, & justitiam, declarandam: dum ex damnata massa alios justè puniet, alios misericorditer liberabit. S. August. de grat. &c. c. 10.

Est maximum divinæ providentiæ argumentum; non sinere, ut vitium, quod ex voluntaria defectione ortum est, inconducibile maneat, & inutile; sed nec sit omnino noxium. &c. Clemens Alexand. l. 1. Strom. c. 8.

Multi adhuc, Deo dispensante, cadunt; ut fortiores resurgant: & qui prius ante lapsum habuerunt solummodò gratiam adjuvantem, post ruinæ reparationem accipiunt simul & gratiam confirmantem. Rich. à S. Vict. de erud. hom. inter. l. 2. c. 50.

Diabolus prodest.

Permissus est ad probandum Job Sathanas. Nescit diabolus; quanta bona de illo fiant, etiam cum sævit. Sævius intravit in cor Judæ; sævius tradidit Christum, sævius crucifixus; & crucifixò redemptus est orbis terrarum. S. August. in Psal. 130. Ecce sævicia diaboli diabolo obfuit; nobis autem profuit. Sævius enim, quos tenebat, amisit, redemptos sanguine Domini; quem, cum sæviret, effudit. ib.

Diabolus sibi ipsi, non nobis, est malus: nos enim, si velimus, plura etiam commoda per illum, perque illius nequitias, consequimur; illò etiam invito, ac renuente: quod est profectò mirabile. Et in hoc divinæ bonitatis magnitudo conspicitur. S. Chrysof. de provid. Dei l. 1.

Ubiq; voluntas est in causa, ubiq; nostrum arbitrium est auctor: quandoquidem diabolus etiam utilis nobis est; si eò, prout oportet, utamur. S. Chrysof. tom. 6. serm. cur è medio non sit sublatus diabolus. Ex quo cecidit de cælo superbus hic Angelus; & ad laudem, vel gloriam, justi Judicis factus est diabolus. Quidquid unquam egit, vel agere voluit; totum ad obsequium, & honorem, Dei profect; & proficere non desinit usque in finem sæculi. S. Rupertus l. 2. de oper. Spir. S. c. 25.

Vide Diabolus. Infernus.



TITU